QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA,

MANE IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. MARTII,

M. SIMONE BASIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An ex carie pudendi calloſa cicatrix, Syphilidis ſignum certiſsimum? 712

MEDICVS qui poteſt morbum dignoſcere, poteſt & curare, qui poteſt difficiliùs poteſt & faciliùs; dignotio enim eſt propter curationem, περὶ τῶν ἀφανεστάτων νουσημάτων opinio magis quàm ars iudicat; morbi dignoſcuntur per ſigna, ſignum quippe eſt id quod ſenſui peruium ducit nos in cognitionem rei ſenſui occultę, cuiuſmodi ſunt affectus & remedia, hinc fit vt ſignum, διάγνωσις & θεραπεία, ſeſe mutuò conſequantur. Et quia medicus noſſe debet quę ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur beneficio ſignorum; hæc aut diagnoſtica ſunt, aut anamniſtica, aut prognoſtica, τεκμήρια omnia que non fallunt, aut εἰκότα vera vtplurimum, peritus enim artifex vt futura præuideat & legitimam aggrediatur curationem, tum præſentia, tum ex præteritis quæ cum pręſentibus ſimiliter ſe habent, in conſiderationem adhibet.

DIAGNOSTICA præſentem ſtatum indicant, dùm affectûs ſpeciem, eiuſdem cauſam ſimul & affectam detegunt partem (plurimorum enim morborum, vt apoplexiæ, paralyſeos, cæcitatis, nephritidis, icteri, ſtranguriæ idea & cauſa eadem, idem τρόπος, non tamen τόπος,) cur non & ſymptomata? Quia ſub ſenſum cadunt, imò & ſignorum ſunt fontes, à quibus ſola ratione diſtinguuntur; Illorum plurima ſunt παθογνωμονικὰ maxima facultate, facillima dignotione, vni, ſoli & ſemper morbo adſtantia: ſunt & συνεδρεύοντα, quæ non tam morbi eſſentiam quàm molem & magnitudinem oſtendunt: magnitudinis ſigna alterius ad maius, alterius ad minus, ſunt & ἐπιφαινόμενα ad ſalutem plerumque apparentia, & ἐπιγινόμενα, malis ſemper ægri rebus. Affecta pars actione læſa, doloris proprietate, ſitu, proprijs accidentibus & excretis dignoſcitur; iiſdem innoteſcit affectus ſignis & pluribus alijs, nam & genus, habitus corporis, temperies, ætas, ſexus, diæta, regio, tempeſtas, conſuetudo, analogia & extrinſecus aduenientia eum commonſtrant, alia enim ad alia, & alia per alia ſunt, tum quæ corpus peruadunt, tum quæ indicant, ideóque & πίστις χρονιωτέρα & κρίσις χαλεπή, quæ in ſimilium ac diſsimilium morborum, cauſarum, corporum ac remediorum diſtinctione conſiſtit, ſimilia enim & diſſimilia non facilè dignoſcuntur, hæc peritum ſæpe fallunt artificem.

SIC in arte verſatiſſimis nonnunquam illudit Syphilis, elephantiaſeos ſuccedanea, ab ea tamen longè diſtincta, nam & cephaleæ, paralyſeos, ophthalmiæ, dyſenteriæ, arthritidis aliquando aſſumit & ementitur ideam, cùm tamen affectus ſit orbis noui nec nouus nec notus: cur enim nouum dicas? cùm Indis ſit familiaris; cur verò notum? cùm nec morbus ſit, nec ſymptoma, nec cauſa manifeſta; non eſt morbus, quia nec primò nec per ſe actionem lædit, non ſimilarem, non organicam, non enim eſt intemperies nec ſimplex nec compoſita; neque etiam eſt vlcus aut alia continui ſolutio, nec parti definitæ inſidet, non pudendo, non cruribus, non capiti, non cuti, ſed obuium quodque, modò contiguum & diſpoſitum, ſuo inficit tabo, quod vbi altiores egit radices, infectis primùm ſpiritibus & humoribus, tandem repit in hepar (cuius tamen ſubſtantiæ non poteſt eſſe morbus) & ab hepate per venas & arterias in partes molles & laxas, dein in duras & ſolidas deriuatur. Non eſt etiam ſymptoma, quia neque eſt actio læſa, neque immoderatio excretorum, nec affectus ſimplex; cauſa tamen eſt ſæpiſsimè morbi ſimilaris vt intemperiei, organici vt tumoris, communis vt vlceris, imò & cauſa ſymptomatis vt doloris acerbiſsimi, in caput, medios artus & articulos atrociſſimè ſæuientis.

NON eſt tamen cauſa manifeſta, quia eſt venenata & maligna qualitas, non euidenti damnoſa contagio; impuræ namque mulieris congreſſu ſcortator, inquinatæ nutricis ſuctu puellus, vt nutrix infecti puelli, obſtetrix parturientis & viciſſim parturiens obſtetricis pollutæ contactu contrahunt luem. Quin & venenum iſtud vt rabidi canis virus ſæpe ita obſcurum eſt & deliteſcens, vt lateat non ſolùm in excrementis inutilibus vt ſputo, & vtilibus vt ſemine, ſed & animantis intimis medullis viginti trigintaue pluſminus annos, vndè in prolem infauſtam (ſanis ſi credere fas eſt parentibus) propagatur; ſed & furtim διὰ τὸ ὑπέκκαυμα (cuiuſmodi poſſunt eſſe lintea & indumenta; potúſque & cibi reliquiæ) nonnumquam inuadit incautos, nunquam verò per aërem. Et quò tenuius & ſubtilius eo celerius, quo verò craſſius eo tardiùs afficit & inficit, ocyùs quidem pueros, mulierculas, & tyrones nuper ſub veneris vexillo militantes, ſeriùs verò viros & inclinantis ætatis; & quo tardiùs ſuas in corpus exerit vires eo difficiliùs propulſatur; differt enim lues à lue, imò vna & eadem à ſeipſa, lues enim incipiens quàm augeſcens, & hęc quàm confirmata contagioſa eſt magis. Vitare hanc cupis? effuſiora fuge oſcula, amplexus diuturniores, ſcorta demùm maximè niſi recutitus; illius enim ferè ſunt immunes Apellę.

AT verò quanquam abditum ſit & cæcum eiuſmodi virus, indicijs tamen quibuſdam deprehenditur, imò & aliquando ſignis certiſſimis, quę varia ſunt pro natura veneni, conditione humoris bilioſi, ſanguinei, pituitoſi, melancholici, & eius cui inſidet partis, atque etiam pro tempeſtatis & ętatis, ſeu laborantis ſeu veneni varietate, laſſitudo, ignauia, torpor, mœſtitia inſueta, dolor deſultorius ſtatim ab impura venere & veneni ἐνέργειαν, & ſpiritus naturalis alterationem incipientémque indicant luem, vt augeſcentem & humores infectos pudendi caries (nunquam pręcipitato mercurio ſananda) gonorrhœa virulenta (quam vorata terebinthina irritat) & bubo (peſtilenti ſpecie, ſubiecto, generationis modo, figurâ & ſitu perſimilis) venarum malleoli ſemper, cubitalium verò ſectione nunquam curandus, capillorum, barbæ, ciliorum, & ſuperciliorum defluuium, puſtulę aliàs rotundę, durę & ſiccę, aliàs humidæ, catharſi & hydrargyroſi faciliùs quàm ligni ſancti decocto extirpandæ, ſicut & ſcabies, impetigo, fiſſuræ manuum & pedum, nocturni artuum & articulorum cruciatus; ſicut confirmatam & ſolidis partibus inhærentem vlcera profunda, maligna, exedentia, dyſepulotica, vuulæ relaxatio, faucium exulceratio, vox raui vitiata, cephalæa grauis, cranij, narium & palati oſſium corruptio & caſus, tophi in varijs partibus balneo emolliendi, tinnitus aurium inexpugnabiles, febres hecticæ ſarſæ & ligni ſancti diluto debellandæ, quæ ſymptomata etſi nec ſemper nec ſimul appareant, tamen ſi ex carie pudendi calloſa cicatrix nullis emollientibus & digerentibus præſidijs deleta poſt hydrargyroſim, ſuffitum, decocti ſudorifici ſicut & cathartici vſum frequentem permaneat diutiùs, vel reliquis omnibus indicijs ſedatis & obliteratis, venenum deliteſcere & intima ſubire teſtatur certo certius.

Ergo ex carie pudendi calloſa cicatrix Syphilidis ſignum certiſsimum. 158

Proponebat Lutetiæ PETRVS GVENAVLT, Genabenſis. Anno R. S. H. M. DC. XXVIII.